



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 23. Abdicationis formula a Concilio rejecta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

men lege , ut vel eam apud se retineret, *Sæcul. XV.*
 vel nata occasione, & duntaxat ad specia- *A.C. 1415.*
 le ejus mandatum , illam Concilio exhi-
 beret. Interim Deputati Constantiam
 reversi, in particulari quodam confessu,
 ad id a Cæsare coacto, de rebus gestis ra-
 tionem reddebant, ubi Patres omnia Pon-
 tificis studia eo converti censebant, ut
 tergiversationibus suis illuderet Concilio.
 Quapropter citationem jam antea contra
 eum constitutam in proxima Sessione ex-
 equi decernebant.

§. XXIII.

Abdicationis formula a Concilio rejecta.

Postquam Austriae Dux trigesima Apri- *Spond. an.*
 lis Constantiam venit, cum Cæsare *1415. n. 26.*
 ac Synodo in gratiam redditurus, Joannes
 tunc suæ quoque securitati consulendum
 esse censuit. Igitur Comitem Ursinum
 e vestigio ad Synodum ablegat, ut datae
 ad renunciandum potestatis formulam si-
 bi antea traditam Concilio porrigeret.
 Patres vero illam verbis adeo ambiguis
 conceptam, tamque immoderatis, insoliti-
 que conditionibus infectam cernentes,
 arbitrati sunt, quod Papa non nisi va-
 nis ejusmodi cedendi mandatis studiose
 tempus protraheret, spe fretus, Ducem
 Burgundiæ, qui eum e Germania educe-

B 5 re

Sæcul. XV.
A. C. 1415.

re pollicitus esset, sibi interim potenter succursurum. Evidem Papa in ista formula promisit, juravitque, se pure ac simpliciter Papatui renunciaturum, hac tamen lege, ut sibi prius per Concilium de ipsius honesto vitæ statu ac libertate satis provisum esset, & quidem sub ea forma, ac conditione, quam Cardinalibus S. Marci, & Florentino insinuasset, & Synodo proponi jussisset. Ergo nil reliquum esse judicabant Patres, quam publicam habere Sessionem, in qua citationem jam antea unanimi consensu sanctam, effectui darent. Nihilominus ante hanc Sessionem in facello adhuc conveniunt, super iis, quæ præcedenti die decreverant, deliberaturi. Ceterum Cardinales identidem conquerebantur, sibi in conventibus Nationum nunquam ut Cardinalibus, sed mere ut Nationum Deputatis suffragandi jus concedi, nec non aliquot duntaxat ante Sessionem publicam horis ad congressum vocari, ibique primum sibi, quæ in Sessione perlegenda essent, statim approbanda proponi. Ad hæc Synodus respondit, quod & ipsi suarum Nationum conventibus interesse, ac sicut ceteri Deputati sua suffragia dare omnino valerent, ast dignitatis Cardinalitiae rationem nullam fore habendam. Quare vietas dare manus, aliorum arbitrio cedere, & Sessioni sequenti

ti interesse, necessitate compulsi sunt: cer- Sæcul. XV.
nebant enim res Joannis Papæ in pes- A.C. 1415.
simo loco, imo jamjam desperatas esse,
ex quo Fridericus ejusdem Fautor Con-
stantiam venisset. Nihilominus huic
Sessioni nonnisi duodecim ex Purpuratis
aderant.

§. XXIV.

Sessione septima.

Sessio hæc die secunda Maji habita or- *Labbe Concil.*
dine septima fuit, cui Cardinalis Viva- *tom. 12. p. 35.*
riensis, præsente etiam Cæsare, præfuit.
Primo caufa Hieronymi Pragensis discu-
titur, qui cum ad primam citationem de-
cima octava Aprilis factam non compa-
ruisset, altera vice secundum juris præ-
scripta in judicium vocandus decernitur.
Postea Concilii Procuratores Joannis
gesta satis prolixè prosequuntur, eique
cum omnibus illius sequacibus diem dici,
necnon securitatis literas, ut libere ac tu-
to Constantiam adire possent, Concilij ac
Cæsaris nomine dari postulant.

§. XXV.

Citatio Joannis XXIII. Papæ.

Summam citationis impræsentiarum ex-
hibeo: *Sacrosancta Constantiensis Syno-* *Ibid. p. 37.*
dus Ecclesiam Catholicam repræsentans, in
Spiritu